Quaestiones chronologicae de opere Constantini Porphyrogenetae de Administrando Imperio.

Quaestio. I.

No. 81.

Quo Anno hoc opus à Constantino scriptum? et an uno, aut pluribus annis diversis materia hujus operis scribendo absoluta sit.

Bollandistae et Bayerus in Actis Petropolitanis, referunt tempus scriptionis hujus operis ad Annum Xti 949num utentes argumentis historicis, et non chronologicis ex ipso opere petitis.

Ego, cuj plurimum interest nosse annum scriptionis hujus operis, et an omnia capita hujus operis uno, an pluribus annis conscripta sint, quaestiones has binas chronologicas ex ipso opere eruendas adlaboravi. utitur enim Auctor annis Mundi, utitur etiam indictionibus, et signanter verbis: usque ad hodiernum diem, usque nunc, hodie etc: è quibus certis notis infragibiliter anni scriptionis erui poterunt.

Primum itaque inquirendum, cujusnam Auctoris chronologia utatur Constantinus in assignandis annis Mundi? et cujnam anno Mundi chronologiae Constantinianae respondet annus primus Xti nati? id si in luce positum sit, reliqua facile solventur.

ut ergo eruatur quibusnam annis mundi utatur Constantinus, legendum est Caput XVI. hujus operis. in hoc ait Constantinus: (Egressi sunt Saraceni die tertia Mensis Septembris Indictionis 10mae Anno Heraclij 12mo: Mundi 6130mo). quaerendum ergo est, cujnam anno Xti respondeat annus Mundi 6130 Constantinianus. id ex anno Heraclij 12mo, qui est Mundi 6130, ita confirmo:

Ex catalogo Imperatorum Constantinopolitanorum certum, indubitatumque est Heraclium anno Xti 610 factum esse Imperatorem. ergo Annus 12mus Heraclij fuit annus Xti 622.
quod annus Heraclij 12mus sit Annus Xti 622 probatur etiam ex Indictione, dicit enim Constantin. eodem Capite: anno 12mo Heraclij fuisse Indictionem 10. ergo si annus Xti 622 est 12mus Heraclij, habere debet Indictionem 10. est autem Regula chronologica inquirendi Indictiones sequens: ab Anno dato Xti subtrahe 12 residuum reliquum divide per 15, residuum ex divisione per 15. (neglecto quoto) dabit Indictionem quaesitam, Igitur

Si ab annum Xti 622 subtrahamus 12 habebimus hand 610, quo divisa per 15, relinquit 10, est ergo indubitatum, Annum 12mum Heraclij esse Anni Xti 622.

Ex hoc facile conficiemus, quinam Mundi annus Constantinianus respondeat Anno Nativitatis Xti. dicit enim Constant. Annum 12mum Heraclij esse annum Mundi 6130. ergo si ab hoc anno Mundi 6130 subtrahas annum Xti 622 respondentem, videbis annum mundi 5508 respondere anno Nativitatis Xti imo.

Ex hoc porro facile est inferre annos Mundi Constantinianos esse annos Mundi Græcorum juxta Chronologiam Theophanis. nam Annus mundi vulgaris, quo utitur Ecclesia, et Romani respondens anno Nativitatis Xti est: 4053 hos si subtrahas ab annis mundi constantinianis respondentibus anno Xti nati: nempe 5508 habebis residuos 1455, quibus anni annos mundi vulgares superant, sed hic excessus habetur in annis Mundi Theophanis relate ad annos vulgares, ergo Anni mundi Constantiniani, sunt anni Mundi Græcorum Theophanis. +

+ quod ipsum quoque colligere licet ex verbis Constantini Capite XXI. ubi dicit: Ex chronico Theophanis anno ab orbe condito 6171. ubi chronicum Theophanis nominat.

Hoc fundamento chronologico cognito, facile est reducere annos Mundi Constantinianos ad annos Mundi vulgares, item ad annos Xti quoscunque datos.

Nam si scire velis annos Mundi vulgares respondentes Constantinianis, tum ab annis Constantinianis datis subtrahendi sunt 1455. anni, residui indicabunt annos Mundi vulgares, ita si à datis supra annis 6130, subtrahas 1455 Residui 4675 sunt anni Mundi vulgares.

2do: si scire velis annum Xti respondentem Annis Mundi Constantinianis, id obtinebis si ab annis Mundi Constant. subtrahas 5508. sic si ab anno Mundi Constant. 6130 subtrahas 5508 residuum 622 erit annus Xti, respondens anno Mundi 6130 Constantiniano.

His jam stabilitis Principijs haud difficulter questiones de anno scriptionis operis de Administrando Imperio conficiemus. ajt enim Constantinus Capite XXVIII. Et sunt in hodiernum usque diem, quæ Septima indictio est, anni à Condito Mundo 6457.

Igitur si ab annis mundi datis 6457 subtrahas 5508 annos supra inventos, habebis residuos 949 annos qui sunt Anni Xti; et id verum esse probat indictio, dicit enim Constantin. anno Mundi 6457. fuisse indictionem 7. ergo si annus Xti 949, respondet anno mundi Constant. 6457. habere debet indictionem 7. Quapropter ut indagemus indictionem, ab anno Xti 949 subtrahendi sunt 12, et residuum dividendum per 15, numerus remanens erit

est Indictio, igitur 949 subtractis 12, habetur 937. qui divisi per 15 relinquunt 7. est ergo annus Xti 949 respondens anno Mundi Constant. 6457. quo Constantinus Caput XXVIII. scribebat.

Potest etiam sequenti modo probari annum 949. esse annum Xti respondentem anno Mundi Constantin. 6457.

Supra ostensum est annum 12 Heraclij respondentem anno Mundi Const. 6130 fuisse annum Xti 622 igitur si ab anno Mundi Const. 6457, subtrahas annum Mundi 6130, et residuum 327, addas ad annos Xti 622, habebis annum Xti 949.

Certum igitur est Caput XXVIII de Administrando Imperio à Constantino scriptum fuisse anno Xti 949.

Item Capite XXIX. ait Constantinus: Ex quo autem cives Salonitani Ragusium demigrarunt, anni sunt 500 in hunc usque diem Indictione 7ma Anni 6457.

Jam supra Cap. XXVIII ostensum est annum Mundi 6457 respondere anno Xti 949, qui habet indictionem 7. ergo et Caput XXIX scriptum est anno Xti 949.

~~Item Capite XXII ait Constantinus: Hoc tempore (videlicet imperantibus Irene et Constantino) Anno ab orbe Condito 6288. igitur si subtra~~

~~Item Capite XXVII. ait Constantinus Et sunt in hodiernum diem, quæ septima indictio est anni à Condito mundo 6~~

Hoc ergo modo demonstratum habemus capita XXVIII. et XXIX de Administrando Imperio scripta fuisse à Constantino anno Xti 949.

Sed per hoc nondum demonstratum est, totum opus de Administrando Imperio hoc anno 949 + absolutum fuisse, poterat enim pluribus annis in hoc conscribendo opere incumbere, poterat, quædam capita etiam anteriora posterioribus temporibus scripta subinde interserere, etc: videndum ergo an ex ipso Constantini hoc opere eruere possimus solutionem hujus Quæstionis? et verò posse nos hoc efficere sequenti ~~argumento~~ indagatione demonstratur.

+ conscriptum, et

1mo: Capite XLV de Iberibus ait: Ex quo autem Hierosolymis migrarunt, in terram, quam nunc incolunt, anni sunt 400 vel 500, hodie quæ est Indictio 10ma à Condito verò Mundo 6460 Constantino, et Romano Xti amantibus ac Porphyrogenitis Imperatoribus.

Scriptum ergo est Caput XLV anno Mundi 6460 indictione 10ma, si dagegen ab anno mundi 6460 subtrahas juxta superiora 5508 habebis annum Xti 952. qui omnino habet indictionem 10. ergo Caput XLV scripsit Constantinus anno Xti 952 sed supra ostensum est Capita XXVIII, et XXIX scripta fuisse anno 949, ergo opus de Administrando Imperio non intra unum annum scriptum est, sed diversis

2do Item: Capite XXVI. ait: vivere Lotharium Regem Italiæ: Dum ergo scribebat caput XXVI vixit Lotharius, sed juxta certiores authores Lotharius mortuus est anno 949. Brietius tamen mortem ponit ad Annum 950. ergo dicendum vel caput hoc XXVI scriptum fuisse ante annum Xti 949, quo adhuc vivebat Lotharius, vel si caput XXVI scribebat Constantinus anno 949; mortem Lotharij nondum ad aures Constantini pervenisse. ego magis inclinarem in sententiam: caput hoc XXVI scriptum fuisse ante annum 949. ~~qu~~ scilicet vel 948. vel 48.(quo adhuc vivebat Lotharius, cum jam ex supra relatis certum sit caput XLV scriptum fuisse 952,+ adeoque opus de Administrando Imperio non uno eodemque anno ~~script~~ sed diversis scriptum fuisse annis x/x

+ et non 949.

x Si autem annus Brietij 950 (quo Lotharium mortuum scribit) perplaceat, tum caput XXVI. Constantinus quidem scribere potuit Anno 949, quo adhuc juxta Brietium vixerat Lotharius, inde tamen non sequitur, certum hoc esse argumentum nam Lotharius, Rex Italiæ factus est Anno 945 poterat ergo caput XXVI. à Constantino conscribi vel anno aliquo inter annum 945. et 950 cadente quibus vixerat Lotharius Rex Italiæ. ~~Eo~~ Eodem modo alibi demonstratum dabo, caput XXXVII conscribi debuisse à Constantino anno 946.

Postquam ergo primarias binas quæstiones de anno scriptionis operis de Administrando Imperio resolutas habemus. restant aliæ adhuc quæstiones ~~ref~~ chronologicæ resolvendæ.

1mo an scilicet omnes anni chronologici, quos recenset Constantinus, ab editoribus rite, et sine errore positi sint? dicendum enim ~~graecum~~ opus hoc græce scriptum esse, atque græcis in more esse annos per alphabeti literas non nunquam de signare, quapropter errores chronologici facile in versiones latinas irrepere potuerunt, et vero etiam in opere hoc Constantini hujusmodi errores irrepsisse demonstratum dabo.

narrat Constantinus Capite XXVIII. de Capua: et ait: Ex quo autem hæc Capua constructa est anni sunt 73 (in græco habetur ΟΓ) demonstravimus autem superius, caput hoc XXVIIImo scriptum fuisse anno 949. si ergo ab annom 949 ~~subtrahamus~~ ~~annos~~ 73 conficiemus annum Xti conditæ urbis Capuæ 876. probat autem Bandurius indubitatis argumentis Capuam conditam esse anno Xti 856, hoc est, annis 20 ante epocham à Constantino assignatam, ergo vel Constantinus erravit in assignandis annis 73. vel interpres erravit in litteris græcis ΟΓ rite discernendis, arbitror autem interpretem errasse, et loco Ϙ legisse Ο, si enim loco ΟΓ scribas ϘΓ habebis annum 93 loco 73. qui annus 93 subtractus à 949 relinquit annum urbis Capuæ conditæ 856. eundem quem probat Bandurius.

~~Ergo~~ Ex his conficitur annos Constantini in editione tum græca tum latina positos non esse sine suspicione erroris; si ergo anni Constantini repugnant ~~certos~~ certæ chronologiæ alicujus authoris, tenendum est in editione irrepsisse errorem